ORATIO

HABITA IN COMITIIS REGALIS COLLEGII
NEAP. THEOLOGORUM

PRO DECANI ELECTIONE

A FR. ALOYSIO VINCENTIO CASSITTO

ORDINIS PRAEDICATORUM

S. THEOL. MAGISTRO.



NEAPOLI

MDCCXCIV.

ΟΙΤΑΕΟ

V. CL.

VINCENTIO . GREGORIO . LAVAZZOLIO

ORD. PRAEDICATORVM

S. THEOLOGIAE . MAGISTRO

AC . THEOLOGORVM . COLLEGII . DECANO

R. NEAP. ACADEMIAE . SCIENT. SOCIO

MORIBVS . DOCTRINA . EXIMIO

FR. ALOYSIVS . VINCENTIVS . CASSITTO

OB . COLLATA . IN . SE . BENEFICIA

L. M.

Digitized by Google



QUamquam omnia Dei O. M. attributa (*Illustrissimi ac Reverendissimi Patres*) quae ab exiguis hominum mentibus, cum divisa non sint, secreta intelliguntur, infinitam virtutem praeseferant : Sapientia tamen illa est, quae universa veluti complectatur. Sive enim Iustitiam, sive Omnipotentiam, sive Bonitatem ipsam contemplari velimus, omnia per Sapientiam, & in Sapientia admiranda inveniemus. Quod si ita sese res habet, laetandum maximopere nobis est, quibus Revelatione praeeunte in adytum aeternae Sapientiae deduci contingit ; quibus in Divina, quantum fas est mortalibus, introspicere datur, & veritates illas ex parte saltem contemplari quae supra naturae ordinem adtolluntur. Si qua igitur disciplina colitur, qua magis homo perficiatur, Revelationis Doctrina est, quam Theologiam adpellamus. Quid revera facultate ista nobilius excogitari poterit, quid inveniri praestantius, quae aeternae ipsius Sapientiae tesseris distinguitur ? Quoniam ergo demandatum mihi fuit, ut coram vobis verba facerem simul coactis, Divinamque opem poscentibus, quo Decanum eligatis ; is orationis meae scopus sit, ut tres fulgentissimas Divinae Sapientiae dotes in Sacris Bibliis descriptas (*Sapient. VII. v.* 22, 23.) Theologiae etiam convenire demonstrem, Spi-

ritum nempe *incoinquinatum*, *humanum*, *stabilem*. Vos inde intelligetis quis quantusque hodie vir florentissimo huic Theologorum coetui sit praeficiendus. Vestra dum tempora parumper morabimur, memineritis infantiae Oratoris ignoscendum quidquid maiestatem argumenti deterere videbitur.

Humanae mentis desertae quodammodo, ac suis relictae erroribus miseriam satis superque nobis demonstrat Gentilium Theologia tot vitiata fabulis, tot foedata probris, ut in ea non veri non boni vestigium deprehendere maximo studio viri doctissimi potuerint. Neque illud cogitetis, me de vulgi tantum & Poetarum commentitia Theologia loqui. Vel qui Sapientiae studiosi audiebant, mirum quantum naturalem Religionem, Deique Optimi Maximi notitiam pessum dederint. „ Diversi, ait adposite Lactantius, (*Divin. Instit. l. VII. c.7.*) diverse illa omnia protulerunt, non adnectentes nec caussas rerum, nec consequentias, nec rationes, ut summam, quae continet universa, nec compingerent, nec complerent „. Si minutae aliquando veri strieturae inter profanorum naenias ac tenebras elucent, illas vel abs Hebraeorum codicibus, vel ab eorum commercio manasse in comperto est, postquam Cl. Huetius scriptis suis cedro linendis id perquam strenue adseruit. Divina tantum Revelatione factum, ut pura, & nitida Divinarum rerum notitia e caelo in homines deplueret. Fuerit, ut hoc demus, Hebraica Theologia obscurior, fuerit olim rudior Christiana; at quis id vitio vertat nobilissimae Facultati? Haec plane in temporum plenitudine, orto iam Sole iustitiae, adscito splendore rutilare & ipsa debebat. Quid modo nostra Theologia luculentius? Hic veritates caelestes nobis aperiuntur, neque ut olim adumbratae, sed ut sunt nudae, investes, intactae sistuntur. Hic nulla fabularum obscoenitas, nulla erroris nota deprehenditur, seu veritates enarret quae intellectum illustrant, seu quae mores emendant. Facessant quaeso, qui rixis & clamoribus mare caelum terras miscent,

scent, qui in Theologiam ineptas disceptationes, discordes Evangelio doctrinas invehunt; neque enim Theologi isti censendi sunt, sed purissimae Sapientiae corruptores. Ne tamen putetis, Theologiam quae Divinae Sapientiae lumen est quoddam, faece ista hominum pollui. Sicuti enim limpidus vitreusque rivulus ex capite purissimo defluit, nec coeno unquam turbatur, si pecoris insultus vel adscita aliunde colluvies arceri possit; ita haec nostra scientia, ubi quidquid hominem sapit eliminemus, integra est, pura est, intactoque & nativo illo nitore caelestem suam portendit originem. Sunt illa hominum vitia, atque deliria; hinc eodem ipso temporis articulo, quo perversis doctrinis inhaerent male feriati gerrones, Theologiae castra deseruerunt, quam Sacra Oracula *incoinquinatam* adpellant. Nulla omnino macula Theologiam devenustat; non calamitates, non procellas minatur Scientia, quam Deus ipse testatur vaporem esse, & auram virtutis suae. (*Sapient.c.*8.)

Nec porro putemus Christianam Theologiam ea dote tantum ornari, quod caelesti puritate refulgeat. Est haec laus ipsius maxima, at non unica. Humanae etiam Societati necessaria est sicuti Divina Sapientia; nam puritate illa sua & populis praesto est, & firmat imperia, Reipublicaeque bono consulit. Si humanae cuiuslibet scientiae scopus est Societati commodum parere, nemo, opinor, id praesertim inficias iverit de Divinae Sapientiae rivulo, de Theologia inquam Christiana. Mathesine, Physicae, vel Astronomiae illud dabitur quod Theologiae abiudicaverimus? Habebimus nautas, architectos, milites, opifices Philosophiae praesidiis instructos, & optime de Societate meritos, non cives tamen, si Theologiam eliminemus, bonos, pacisque cultores. Mitto hic, nullam fuisse umquam tam efferam nationem, quae non aliquam habuerit Theologiam; manifesto exinde inferre possem, omni aetate & a gentibus universis eam plane necessariam, utilemque habitam fuisse. Lycurgi, Numae, aliorumque exempla praetermitto, qui ut societatem co-

ge-

gerent, vel coactam retinerent, nulla alia facultate, nisi Theologica usi sunt. Unum adverto quod ex Christianae ipsius Theologiae, ut ita dicam, visceribus eruitur. Quidquid ipsa tradit, totum ad mores recte instituendos dirigitur; neque enim mysteria exponuntur, nisi ut ad caelestia homines adsurgere discant. Moribus vero probe rectèque institutis, neque id obiter, sed purgato prius intellectu, annon Respublica ipsa proficiet? Scateat haec naevis, abundet vitiis; at nemo nisi vir Theologus hominem intus movebit, ut pacta conventa servet, Principi morem gerat, societatem non laedat: idque veritatibus aeternis propositis, quae intellectum non minus, quam animum ad virtutem excitare possunt. Videant moriones, qui Theologiae bellum indicunt quot quantaque Rebus publicis damna immineant si vincula haec, dura quidem, sed tamen Societatis abrumpantur. Novit, novit id teterrimi Pantheismi Coriphaeus, recutitus ille Spinoza (*Tract. Theol. Polit. c.* 15.). Fatetur Jo. Jacobus Rousseau novae ac turbulentae Philosophiae choragus; fatetur Montesquius: Magna est vis veritatis, quae nolentibus etiam hostibus erumpit.

Quod si adiiciatur, puritatem illam, & humanae Societatis commodum, quibus Theologia nostra commendatur, stabilitate etiam consistere, immensum profecto pondus rationibus nostris accessisse intelligemus. Non uno scilicet saeculo vel altero, sed iam inde ex quo caelo delapsa est, pura & humana fuit. Qui enim iis dotibus destitueretur, deficeret, vel nutaret, quae firmissime Divino innititur Testimonio? Caelum nimirum, & terra transibunt, movebuntur, destruentur; sed Domini eloquia pura, in semetipsis sancta & iusta, non praeteribunt. Fuerunt qui Theologiae Christianae tenebras offundere conati sunt, quique illam penitus profligare tentarunt; sed diversa extiterit docendi methodus, diversa ratio, ut tempora ferebant: stabilis ipsa permansit aeternae Sapientiae incumbens, eiusque stabilitatem imitata.

Quid

Quid igitur nefarius homo blaterat stabilem nõn ẽsse Christianam Sapientiam, sed versatilem? (*Bayle Diction. Phil. Artic. Marc' Antoine*). Si minus peritus Theologus sit, qui scientiae illius locos ignoret, & susque deque res misceat, non Theologiae propterea fundamenta quatientur. Haec semper inspicienda sunt, & firmissima inveniemus. Qua profecto in re iis maximopere indignor, qui de Religione actum putant si paullo diligentius quid verum sit, quid falsum, quid certum, quid insertum, quid hominum vitio, quid non invectum, scrutemur. Atqui ea est Theologiae firmitas, ut tanto sanctior, & divinior adpareat, quanto maiore in luce collocatur. Neque illi sine nota dimittendi videntur, qui arbitrati sunt ad morum sanctimoniam conducere si quaecumque vel procul Religionem attingere videntur, tamquam certa habeantur. Quid enim tam importunum, quam fidei onus, ut ita dicam, augere? Quid tam temerarium & audax, quam in Religionis sacrarium opinionum commenta intrudere? Haec minus firma, Theologiam veluti instabilem imperitis repraesentant. Constat etiam plerosque haereticos idcirco a Romanae Ecclesiae Fide descivisse, quod multa in ea putent doceri, & praecipi, quae tamen sapientiores ipsi Catholici privatorum esse hominum somnia declamant. Quod cum plurima exempla testentur, tum Patrum nostrorum aetate confirmatum est, cum vir praestantissimus *Bossuetus* aureolum profecto libellum vulgavit, quem inscripsit *Doctrinae Catholicae Expositionem*. Iam satis ex his quae carptim disserui, satis inquam conficitur, ubi a vitio hominum discedamus, nihil omnino esse in Theologia quod purum non sit, quod non sit humanum, & stabile. Nec plura addam, ne noctuas Athenis comportare videar.

Haec porro, *Illmi ac Rmi Patres*, quae de Christianae Sapientiae laudibus indicavi, quem nam vobis hodie praeficere debeatis monebunt, si paullo diligentius rem perpendere velitis. Quid enim? Incoinquinatam Sapientiam is colet, qui moribus minus respondentibus sit; humanam,

nam, qui Societatis malo natus videatur; stabilem tandem qui omni doctrinae vento circumfertur? Non is sane non is Theologus Christianus esse debet; nec mentis tantum, sed & cordis Theologiam profiteatur oportet, & mores suos opportune componat, ne occasio sit iniuriae doctrinae Dei. Id cum effecerit, tunc se ad Societatis bonum convertat, & vel in scholis succrescentes in spem Ecclesiae ephebos ad res sacras instituat, aut aeternae populorum saluti, vel certe privatorum prospiciat; tunc denique errores animo impetat strenuo, errantes ac devios Christiana comitate & robore argumentorum ad sanam doctrinam revocare contendat. Quibus omnibus si stabilitatem pessimis praesertim hisce temporibus adiungat, si a purioribus Theologiae fluentis numquam labra dimoveat, si numquam ex turbulentis lacunis hauriat, tunc profecto Sapientiam, quam profitetur, sponsam, amicamque suam caelo demissam iure vocabit.

Iam cum hae dotes sint, quae a quolibet Christiano Theologo requiruntur, summa omnino morum innocentia praeditum iri oportet, qui Theologorum Collegio praeficitur; summo studio is enitatur, ut Societatis bona Reipublicaeque Christianae utilitatem promoveat; summa tandem stabilitate exornetur, ut ipse se tamquam scopulum Oceano, immersabilem erroribus obiiciat, & Collegii simul leges, ac privilegia tueatur.

Videte igitur quid agatis. Decanus * vobis eligendus hodierna die, qui optimi Theologi dotibus emineat. Neque enim putetis Collegium hoc nostrum alia de causa tanto in honore vel a prima institutione habitum, & certatim a Pontifice, ac Principe tot tantisque privilegiis fuisse auctum, quae in quavis alia Universitate desiderantur, nisi quod alumnos semper eduxerit incoinquinatos, humanos, stabiles, quodque hi perpetuo egregium sibi Decanum praefecerint. Quod cum iam inde a Collegii primordiis ipsisque, ut ita dicam, incunabulis ser-

va-